

A.N.
385
9d

Hn
1481

(4)
1

RECTOR
ACADEMIAE VITEBERGENSIS
CHRISTIANVS
SIGISMUNDVS
GEORGIVS
S.S. THEOL. DOCTOR ET PROFESS.
PVBL. ORDINARIVS ALVMNORVM
ELECTORALIVM EPHORVS
INSTITUTVM
CAROLI FRIDERICI WIRTHGEN

DRRSdensis
LL. AA. M. ET REV. MIN. CAND.
A. D. XIII. CAL. DEC. A. R. S. CIOICCLXIV
HABENDA PVBLICE ORATIONE
LEGI LIBERALITATIS WEYRAVCHIANAE

SATISFACTVRI

CIVIBVS

COMMENDAT.

Praemittitur Antiquitatum Germaniae specimen XVI. intercalari-
um II. obseruationis antiquariae.

VITEBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS.



Historiae nostra aetate maximam utilitatem attulisse tantam copiam veterum instrumentorum et chartarum, in quibus in lucem proferendis atque colligendis tot praeclaris antiquitatis indagatores in hunc diem certant, satis quidem compertum est: sed nec illud tamen dubitandum est, multum quoque obscuritatis er perturbationis inde oriri, quod in exscribendis et interpretandis huius generis documentis aliis diligentia, nonnullis etiam exactior vetustatis cognitio deest. Artis certe diplomaticae praecepta quum BARINGVS, ECKARDVS, et HEVMANNVS, aemulati Gallorum et Italorum industriam, dederint, non possumus conqueri, deesse rebus Germaniae cum cura tractandis in vniuersum subsidia; solent vero nihilominus multa in dies publicari et iactari, quae subinde rebus clarissimis tenebras inducunt, quia mores maiorum nostrorum non omnes aequa feliciter cognoscere student. Productum est de instituto episcopatu Misnensi Ottonis M. instrumentum, tanta quidem varietate, ut superuacuis suspicionibus et disceptationibus sola describentium incuria caussam dederit. Integri, si non ipsas tabulas, apographon tamen fide dignum, habuisse FABRICIVM (Annal. vrb. Misn. A. 1500 CCLXVIII. p. 21.) non dubitamus, quamuis initium tantum et finem excerpserit. Totum protulit, et tale, ut nulla corruptionis signa notari possint, MEIBOMIUS,
(Scr.

(Scr. R. G. T. I. p. 752.) a quo deinde alii id repe-
tierunt. In eo praecipue ad fidem praesertim faci-
unt inscriptio, genus scripturae, notae temporum,
et alia locorum, personarum, et rerum adiuncta,
quae ex reliquis sinceris monumentis Ottoniani im-
perii abunde comprobari et defendi possunt. Sub-
scriptio tantum iis, qui vna M A L I N K R O T II in-
dustria contenti sunt, scrupulum iniicere posset;
quia Rudbertus cancellarius subscriptissime *ad vicem*
vacationis Archicapellani notatur. Obierat sane illo
ipso anno Wilhelmus Archiepiscopus Moguntinus,
et duobus postremis vitae annis Archicapellanus.
Hattonem post annum fere integrum demum suc-
cessisse, non ex eo modo intelligitur, quod, vnde-
cim tantum menses sacro muneri quum praefuerit,
 anni 10 CCCCLXIX. fine obiit; sed ex hoc quoque
colligitur, quod de eius constitutione ANNALI-
STA SAXO memorat, anno quidem eodem, quo
Wilhelmi mortem narrat, per prolepsin tamen, vt
satis adparet. Wilhelmus enim VI. Non. Martii
an. Saeculi decimi LXVIII. defunctus fuit. Inde
vt nuntius ad Ottonem in Italiam perferretur, vt
non de sufficiendo tantum nouo praesule consilia
caperentur, verum Gisulfus quoque abas Hersfel-
densis in Germaniam ablegaretur, nouamque Ful-
dae Werinharii electionem antea fieri curaret, et
demum Moguntiae, vt Hatto consensu sacri collegii
et populi reciperetur, efficeret, quis non euolutum
vnius anni cursum credit? LEVCKFELDVS qui-
dam

dem (Antiq. Halberst. p. 653.) Ioannis Ro. Pont.
litteras ad antistitem Magdeburg. iam A. 15 cccc
LXVIII. a. d. XV. Kal. Nov. datas et Hattonis Ar-
chiepiscopi mentionem continentes profert, et ra-
tiones temporis ex illis subducit; sed non esse ge-
nuinas eas, quantum ad subscriptionem certe atti-
net, indicio esse potest documentum longe incor-
ruptius, quo usus est, et partem cum subscriptione
suo operi inseruit CHRONOGRAPHVS SAXO. Ex
hoc enim indubitato cognoscimus, toto anno post
demum istam conuentionem Episcoporum de or-
dinandis dioecesibus factam fuisse. Praeterea DIT-
MARVS, praeclarae fidei auctor, biennio integro
serius Adelbertum Archiepiscopum creatum scribit,
(I. II. p. 29. ed. Mader.) cui non obstant CHRONO-
GRAPHI SAXONIS et ANNALISTAE, quem vo-
cant, SAXONIS narrationes, qui sub priore anno
de his agunt. Consilium enim et decreta impera-
toris quum exponerent, euentum ipsum, qui in
annum sequentem incidit, per anticipationem
cum antecedentibus coniunixerunt. Sed ut ad
Rudberdum redeamus, qui Hattoni tandem suc-
cessit, cancellarius certe illo tempore esse po-
tuit, quamvis nondum aliae chartae ab ipso sub-
scriptae fuerint repertae, quum per istius ex-
peditionis Italicae annos tot diuersos cancellari-
os offendamus simul instrumenta subsignasse. Ne-
que negotium nobis facessere poterit diploma Ot-
tonis I., quo abatiam Angerin Archiepiscopo Mag-
deburgensi largitus est, sub quo legimus: *Liudigerus*
can.



cancellarius ad vicem Haddonis archicappellani notaui. Nam misere vitiata esse subscriptionem notatus annus regni XXIII. imperii vero VII. ostendit. Optandum profecto esset, ut ad id exemplum, quo BODIFE nuper et BOEHMERVS in Coloniensibus praeiuere, plures in huiusmodi memoriis indagandis elaborarent, et errores admissos passim emendarent. Sed in vniuersum constat, plurima documenta mendoſiſſime esse exſcripta, ſicuti GELENIVS olim Malinckrotio, neſcimus quem, Zegerum cancellarium fuisse perſuaderat ex diploma te Eltenſi, quem tamen in adcuratiore apographo DITHMARI (Cod. Dipl. ad Teschenmach p. 28.) Lutgerum clare legimus. At enim non adsequimur, quid mentis fuerit LVNIGIO, quando abſurdissime interpolatum et corruptum exemplar institutionis huius Ottonianae ſibi obtrudi paſſus eſt, cuius initio multa ſunt inferfa iuſta, et ſubscriptio meris monſtris plena eſt. Hoc tamen ſolum CALLESIVS arripiuit, tanquam vnicum ſuperſtes eſſet, illud a MEIBOMIO, integrum, a FABRICIO autem ex potiore parte, productum ne mentione quidem dignatus. Id vero quum incorruptum et non contaminatum eſſe multa oſtentunt, tum Ioannis praefertim XIII. R. Pont. litterae, quae tamen ipſae apud LVNIGIVM rurſus in subscriptione adulteratae ſunt. In vtroque monumento leguntur verba ſatis notabilia, quae ſane bonam interpretationem mereantur: *Omnes (homines LVNIG. EXEMPL.)*

2010

DO 3

qui



qui infra terminum istum habitant, in omni felicitate (fertilitate LVNIG. E.) terrae, frugum et pecudum in argento, in vestimento, nec non quod Teutonici OVERCOVPHNGA dicunt et TALVNGA familiarum, insuper tota vtilitate et in omnibus rebus, quibus mortales vtuntur dieris modis, decimationes -- ad Misnensem Ecclesiam -- persoluant, referant et reddant. Idem plane repetitur in alio Ottonis M. diplomate (ap. SCHOETTGEN in Spicilegio Dipl. Sax. super. P. VI. p. 187.) omnem decimationem rerum suarum, scilicet frugum, pecudum, pecuniarum, vestimentorum, mellis et crusinarum, nec non quod Teutonici dicunt WARCOPHNGA et TALVNGA familiarum -- in eandem Misnensem ciuitatem persoluant, referant et reddant. SCHOETTGENIVS ibi notauit, vocabula ea obscura et incomptae significationis esse. Sed nos dudum in nostro exemplari interpretationem Teutonicam adscripseramus: *Verkauffung und Theilung der Leibeignen.* Vidimus postea, VIRO CVIDAM DOCTO, qui varia bonae frugis ad Fabricii annales Misnenses in exemplari, quod humanissime nobis inspiciendum praebuit V. Ill. IO. DAN. RITTER, I. V. D. et Consil. Aul. atqu. Hist. et Philos. mor. Prof. P. Ord., adnotauit, iam ante saeculum in mentem eadem venisse. Sed quale hoc genus census fuerit, nunc diligentius explicare iuuat. Seruos seu homines proprios inter maiores nostros non minus, quam ministeriali conditione obstri-
ctos

ctos vendi et permutteri consuesse, dudum POTGIE-
SERVS, HERTIVS, THOMASIVS, et ESTOR do-
cuerunt. Sed haec potestas dominica, legatis agris
et colonis, ad sacra collegia non transferebatur, nisi
ipsa imperium simul ciuale intra territorium accep-
fent. Hinc Ludouicus Pius in diplomate, quo no-
uam Corbeiam immunitate donat, *qualem omnes*
Ecclesiae in Francia habuerant, (ap. FVRSTENBERG.
in Mon. Paderborn. p. 124.) concedit quoque, *ut li-*
centiam habeant rectores huiusc monasterii cum qui-
buslibet hominibus liberis res et MANSPIA COM-
MVTARE. Sed in terris, quae Episcopis donabantur,
decimas soluisse dominos ex redditu ex manci-
piorum venditione et ex incrementis familiarum,
quae matrimonia inter obnoxios diuersis contracta
dabant, liberis aequaliter, vel certa proportione
diuisis, ex his diplomatibus discimus. Quid fue-
rit ea diuisio, egregie docet conuentio inter Leo-
nem Ep. Ratispon. et Ludouicum Com. Pal. Rheni
et Duc. Bauar. A. cl^occlxxii. inita, (In BIBLIOTH.
HISTOR. GOETTING. T. I. p. 199.) vbi haec legimus:
Adiectum est etiam ab arbitris pro nostra et Domini
Ducis familia et iure mutuo conseruando, quod quicun-
que ministerialium nostrorum vel Domini Ducis ma-
trimonium contraxerunt, vel contraxerint in futu-
rum, senior filius vel filia conditionem patris sequan-
tur, et alii inter nos et nostram Ecclesiam et Domini
Ducem DIVIDANTVR AEQVALITER infra
annum. Et ordines Boioariae in querelis suis

A.

A. c^{lo}ccccxcix. ad Georgium Ducem delatis,
(IN BIBL. GOETT. l. c. p. 290.) *Vt DIVIDANT fa-*
milia, sola excepta Frisingensi Ecclesia, contra veter-
rem morem est; patrem filius sequitur, matrem filia,
veteri iure. Plenius totam rem variosque in di-
uersis terris mores exponunt ETS OR (de ministerial.
c. II. §. XCIX. p. 141.) et PREVSCHENIVS
(Marburg. Beytraege IV. St. p. 87. sq.) Neque alio
respexit DITMARVS, quando (l. III. p. 55. ed.
Mader.) scripsit: *Tunc omnia nostram Ecclesiam re-*
spicientia DIVISA sunt miserabiliter Slauonicae ri-
tu familiae; quae accusata venundando dispergitur.
Doceatur hinc Slauica mancipia in primis ob de-
licta fuisse diuendita, vt nec mirum sit, si fructu-
um instar ex praediis habitae tales venditiones,
vt inde decimae penderentur.

Hanc decerp tam ex antiquitatibus patriae particulam
considerare placuit, quando CAROLVS FRIDERICVS
WIRTHGEN, Dresdensis, LL. A A. M. et Reu. Min. Cand.,
vt instituto Weyrauchiano satisfaciat, a. d. XIII. Kal. Dec.
orationem habere, *de praeiudicio antiquitatis in religione*
veritati noxio, sibi proposuit. Est id argumentum tam
fauorabile, vt vestram sollicitare, CIVES, humanitatem et
elegantiam oratoris diligentia, quam nolis, possit, et spe-
rare vestram frequentiam et benevolentiam eo magis lice-
at, quo plus sanctissimae nostrae religionis doctrinae, a prae-
iudicatarum et fallacium opinionum commentis dei nutu
pridem liberatae, tributis. Largiatur Deus huic sui verio-
ris cultus et litterarum domicilio laeta in posterum tem-
pora, et ex vestris incrementis perpetua gaudia.

P. P. a. d. XIV. Kal. Dec. A. R. S.

c^{lo} I^o CC LXIV.





Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

B.I.G.

ECTOR
IAE VITEBERGENSIS
ISTIANVS
SMVNDS
ORGIVS
DOCTOR ET PROFESS.
INARIUS ALVMNORVM
ORALIVM EPHORVS
INSTITVTVM
RIDERICI WIRTHGEN

D R R S D E N S I S
M. ET REV. MIN. CAND.

CAL. DEC. A. R. S. C I O I O C C L X I V
P V B L I C E O R A T I O N E
L I T A T I S W E Y R A V C H I A N A E
S A T I S F A C T V R I
I V I B V S
O M M E N D A T .

rum Germaniae specimen XVI. intercalari-
i. obseruationis antiquariae.

VITEBERGAE
AIM GOTTLÖB EICHSFELDI
ADEMIÆ A TYPIS.



II n
1481
(4)
1

